



**Augustini Barbosae ... Collectanea doctorum tam
veterum, quam recentiorum, in ius pontificium universum**

In Qvo Qvintvs Decretalivm Libri continetvr

Barbosa, Agostinho

Lugduni, 1669

De sortilegiis. Tit. XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95280](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95280)

officio, vel beneficio, quia non presumitur falsificasse, cum huiusmodi litterae facile obtineantur. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innocent. Collect. Zabarel. Ioan. Andr. Anania, Hostiens. Anchar. Butr. Panorm. Mar. Viuian. in *rationali lib. 5. iuris Pontifici* pag. 160. Alagona in *compendio iuris Canon.* pag. 693. remissive Ximen. in *concord. p. 2.* refertur ab Anton. August. collect. 4. Decret. lib. 5. tit. 8. cap. 1.

2 De *simplici iustitia*.] Aduerte supplicationes iustitiam concernentes illas dici, quibus quis petit id quod ius concedit, sed alio modo, utpote ut detur si bi iudex, & ut causa alicui committatur, dicuntur enim de iustitia, quia vult ut iudex datus secundum iustitiam causam definiat, ita Fr. Anton. de Soula in *relect. de censuris Bulle in Cena Domini* cap. 7. disp. 41. num. 4.

3 Cum *presumi non debeat*, &c.] Notatur ad hoc, quod falsitas in dubio non presumitur, ut per Perez l. 3. in *med. vers. falsitas ergo*, tit. 6. lib. 8. Ordin. & gloss. 1. pag. 691. vers. *quero* 11. tit. 12. lib. 3. eiusdem Ordin. Valasc. consult. 181. num. 10. Farin. in *praxi crimin. part. 4. decis. 67. numero 5.* & Centol. ad eund. decis. 70. lit. B.

4 Et nemo *presumitur falsarius*, Mascard. de *probat. conclus. 745.* nec in dubio testis presumitur falsus, Mascard. *conclus. 1003* num. 29. Menoch. de *arbitr. casu* 309. numero 8. & 9. Farin. in *d. praxi crimin. 2. quest. 67. num. 103.* Immo in dubio potius presumitur error

quam falsitas, Perez. in *d. vers. falsitas ergo*, Menoch. d. casu 309. num. 8. Farin. in *d. praxi p. 6. de falsitate q. 150. num. 274.* & Centol. ad eund. part. 4. decis. 74. quoad effectum scilicet criminalem, id est, ad euitandam poenam falsi, ut per Grammat. *conf. 23. num. 4.* & *conf. 30. num. 7.* & *conf. 32. num. 10.* Burlat. *conf. 111. n. 14.* Hieron. Gabr. *conf. 181. num. 9.* in *sine lib. 1.* Farin. in *praxi crimin. quest. 67. §. 3. num. 78.* quos refert & sequitur Buccaron. de *differe. inter iudic. civil. & crimin. differe. 110. num. 14.* vbi cum Bertaz. *conf. 194. num. 19.* subdit quod qui asserit non dolose deposuisse falsum, sed per errorem & ignorantiam, habet presumptionem iuris pro se, quia falsum in dubio non presumitur. Quoad effectum vero civilem, id est, quoad effectum probationis presumitur in dubio potius testem falsum dixisse scienter, quam ignoranter, Menoch. de *arbitr. casu* 308. n. 2. cum seqq. Mascard. de *probat. conclus. 743. n. 8.* Farin. d. *quest. 47. §. 8. num. 243.* & seq. Buccaron. d. *differe. 110. num. 15.* In civilibus falsitas presumptionibus probatur, nam sola suspicio falsitatis habetur pro falsitate, ne instrumento fides detur, vide Sylvan. *conf. 7. num. 16.* & cum seqq. & *conf. 68. num. 9.* Clar. lib. 5. §. *falsum* n. 10. Capve. *decis. 30.* Bonacof. *commun. crimin. part. 1. verbo falsum* fol. 66. & *part. 2. verbo suspcio* fol. 77. Menoch. *remed. 4. ad ipse. num. 700.* & *conf. 23. num. 17.* & *conf. 42. num. 33.* & *conf. 45. num. 16.* Mascard. de *probat. conclus. 739. numer. 4.* Parlad. lib. 2. *rerum quotid. ad fin. part. 5. §. 11. num. 37.* Vbi vero criminaliter agitur, debet falsitas concludenter & euidentissime probari, ex Ioseph. Sesse *Arg. decis. 109* num. 19. & 20.

8 Quae *possunt facile obtineri*.] Vnde falsum iudicari, quod affirmatur impossibile scitu refert. Farin. in *praxi crimin. part. 2. quest. 65. num. 149.* Idem est quando quis vult affirmare illud, quod quilibet in voluntate habet, cum solus Deus sit scrutator cordium Oldrad. *consil. 210. num. 9.* & alij per Menoch. *consil. 149. n. 26.*

9 In *glos. Presumi* ibi, sed dolus ex perspicuis indicij probari debet. Vnde Mascard. *conclus. 530.* Pute. *decis. 18. num. 53.* in *antiq.* Flam. de *resignat. benefic. lib. 13. quest. 1. num. 101.* cum seqq. & *quest. 3. num. 16.* & a num. 20. Farin. in *praxi quest. 86. num. 16.* Valasc. *consult. 56. n. 2.* Cardof.

in *praxi Iudicum, verbo dolus* num. 12. Ioseph. Sesse *Arg. decis. 211. n. 19.* In dubio enim non presumitur Tiraq. de *retractu lig. §. 26. gloss. 1. n. 35.* Mascard. *conclus. 531.* & 814. cum seqq. Card. Tusch. *lit. D. consil. 573.* Farin. d. *quest. 89. a. n. 2.* Menoch. de *presumpt. lib. 5. presump. n. 42.* Surd. de *aliment. tit. 4. quest. 15. n. 51.* Ioseph. Sesse *decis. 109. n. 8.*

S V M M A R I V M.

- 1 Rescriptum non probatur falsum propter paucorum litterarum rasuram in loco non suspecto.
- 2 Falsitas non dicitur fieri per rasuram Bulle in loco suspecto.
- 3 Rasura facit instrumentum suspectum de falsitate.
- 4 Renuntiare iuri suo cuiuslibet permittitur.

C A P. Ex conscientia IX. & fin.

Rasura paucarum litterarum quae animam suppetis non debent mouere ad dubitandum, v. g. in loco non suspecto, non probat litteras esse falsas. Et si pars contraria obligauit se sub periculo culpe probare litteras esse falsas, & tantum ostendit hanc rasuram, non probat, & causam perdit, cui libere renouciat. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innocent. Collect. Zabarell. Ioan. Andr. Anania, Hostiens. Anchar. Butr. Panorm. Mar. Socin. Viuian. in *rationali lib. 3. iuris Pontifici* pag. 161. Alagona in *compendio iuris Canonici* pag. 693. remissive Ximen. in *concord. p. 2.* refertur ab Ant. August. collect. 1. Decretal. lib. 5. tit. 8. cap. 2.

Nisi paucarum litterarum rasura, &c.] Notatur ad hoc, quod per rasuram Bulle in loco non suspecto falsitas non dicitur fieri, ut per Fr. Anton. de Soula in *relect. de censuris Bulle in Cena Domini* cap. 7. disp. 41. num. 7. Nam rasura in loco suspecto facit instrumentum suspectum de falsitate, Menoch. de *arbitr. casu* 187. num. 34. cum seqq. Brunor. a Sole in *loci communib. verbo apostilla* 1. Ordin. Reg. Lusitan. lib. 1. tit. 78. §. 4.

Cum quilibet ad renuntiandum iuri suo, &c.] Concorat dat. l. si quis conscribendo C. de pactis ibi, omnia iurata habere hic, quae pro se introducta sunt, renouciat cum alijs citatis a Socin. *regul. 339.* Alpham. *addit. 447.* Tiraquel. de *iure primogen. quest. 24. a. num. 4.* Goll. lib. 1. *obseruat. 40.* Butrig. de *renuntiat. iuri civil. lib. 1. nef. 4.* Mascard. de *probat. conclus. 1269.* Menoch. de *presumpt. lib. 6. presump. 41.* & *consil. 910. num. 1.* Socin. *consil. 198. num. 2.* Donel. *comment. iuris civilis lib. 1. cap. 3. colum. 9. vers. deinde* Motl. in *emporio iuris civilis* part. 1. tit. 1. in *prelud. numer. 19.* & tit. 10. de *locum* quest. 2. n. 12. Azor. *instituit. moral. part. 1. lib. 5. cap. 12. quest. 10.* Cardin. Tusch. *tom. 6. lit. R. consil. 170. cum seqq.* Soar. de *legibus* lib. 8. cap. 33. D. Barbof. in *Lalius* eleganter a num. 12. ff. *solut. matrim. cum pluribus citatis in tractat. Axiom. iuris v. susseq. Axiom. 135.* num. 13. & 14.

De sortilegiis.

TIT. XXI.

S V M M A R I V M.

- 1 Doctores referuntur super hanc rubricam.
- 2 Sortilegionum materiam qui tractant, citantur.

- 3 Augurum materia ubi tractetur ostenditur.
- 4 Striges quas & an contra illas procedant Inquisitores Hispanie.
- 5 Maleficium ligaminis quod remissum.
- 6 Maleficia destrui possunt licite per amotionem signorum.
- 7 Astronomia materiam qui tractent referuntur.
- 8 Agri tudines, casus & euentus, ac tempestates minime ab astris pendent.
- 9 Chiromantia qua remissum.
- 10 Somnis credere superstitiosum, & impium est.
- 11 Necromantia que remissum.
- 12 Hydromantia qua remissum.



PER hanc rubr. scripserunt Zabarell. Ioan. Andr. Anch. Burr. Panormit. Marian. Socin. Guillelm. Durand. in breuiario aureo iuris Canonici fol. 145. Petr. de Rauens. in compendio iuris Canon. Mart. Mesnart. in epitome Decretal. fol. 189. vers. Dan. Venator. in analysi methodica iuris Pontif. a pag. 679. Goffred. & Hostien. in summa huius tit. Alexand. Callan. & Anast. Germon. in paratib. ad quinque libros Decretal. Lancel. in institut. Canon. Barthol. Carthagen. in exposit. titularum iuris Canonici. Zypre. in analytica postremi iuris ecclesiastici enarrat. pag. 418. Canis. in sum. iuris. Canon. Cafarel. in eodem. eiusdem iuris, nouissime Ioan. Honor. lib. 5. sum. in Decretal. omnes sub hoc tit.

- De materia tituli vide Syluest. Tabien. Angel. & ceteros summissas verbo sortilegium, Velam de delictis c. 34. Lancel. Conrad. in templo omnium iudicum lib. 1. c. 1. §. 3. vers. vigesimo quarto. Gaspard. Caballin. in millelog. iuris part. 1. millelog. 78. Azeued. per text. ibi in l. 12. tit. 14. lib. 5. noue recop. & l. 5. tit. 1. lib. 8. eiusdem noue recop. Giland. in tract. de sortileg. Bernard. Comens. in lucerna Inquisitorum, in verbo sortileg. Simanc. de Catholicis institut. cap. 62. Eymeric. ad direct. Inquisit. part. 2. cap. 42. & ibi Pena comment. 67. Cardof. in praxi iudicum verbo sortilegium. Petr. Gregor. syntagm. iuris lib. 34. cap. 1. cum seqq. Martin. Delri. disquisit. magic. lib. 3. part. 1. quest. 1. cum seqq. & lib. 4. cap. 4. quest. 1. Azor. in institut. moral. part. 1. lib. 9. cap. 21. Soar. de relig. tom. 1. lib. 2. de superstit. cap. 38. numer. 56. Lessi. de iustit. lib. 2. cap. 43. dub. 9. Raph. de la Torre in 2. 2. D. Thom. tom. 2. quest. 95. artic. 3. pag. 330. Sanch. in precepta Decalogi lib. 2. cap. 38. a numero 56 Ioan. Baptista Colta cent. 2. distinct. 14. Farin. in praxi crimin. quest. 20. a numero 72. & heresi quest. 181. Ioan. Francisc. Leo in thesauro foro Ecclesiast. part. 3. cap. 5. Sayr. in clauis Regia lib. 4. cap. 5. a numero 14. Aldrete de Religiosa disciplina tuenda lib. 2. cap. 22. Emman. do Valle de incantation & ensalmis sect. 3. cap. 6. numer. 31. cum seqq. Bernard. & Salzed. in pract. c. 110. secundum nouiss. impress. Marta de iurisd. p. c. 12. latè Torreblanc. lib. 1. de magia c. 22.
- De Auribus, vide repert. Inquisit. verbo hereticus. vers. an intendens auguris, & verbo augurium, Decian. tractat. criminal. lib. 5. c. 17. vers. item obseruant auguria, Lessi. d. c. 41. dub. 7. Jacob. de Graffis in decis. aureis lib. 2. c. 3. n. 20. Martin. Delri. d. lib. 4. c. 2. q. 7. sect. 1. art. 2. S. ne. d. lib. 2. c. 38. a numero 38. Torreblanc. d. lib. 1. c. 21. de Augurio.
- De Strigibus vide Carrer. in tractat. de strigibus, Bonacof. commun. criminal. part. 2. verbo parulis fol. mibi 65. & Inquisitores Hispanie contra eas procedunt teste Emman. do Valle d. sect. 3. cap. 5. numer. 16.
- De maleficio ligaminis vide Sprenger. part. 1. mal. Collect. Barbos. Tom. III.

lei quest. 7. & 8. Nicol. Remig. lib. 2. de monolatria cap. 5. Petrus Gregorius syntagm. iuris lib. 34. cap. 9. numer. 3. cum seqq. Martin. Delri. lib. 3. part. 3. quest. 4. sect. 8. in de maleficio ligaminis, Rebello de obligat. iustitia part. 2. lib. 3. quest. 6. a numero 19. Raph. de la Torre d. tom. 2. quest. 96. artic. 2. disput. 10. pag. 414. cum seqq. Farinac. de heresi, quest. 181. numer. 50. Contra maleficia vnicum tantum remedium naturale adhiberi potest, per amotionem scilicet signorum maleficij quæ magus adhibuit, vt donec essent appensæ, dæmon malum continuaret, & hoc licitum esse vt opera Diaboli destruantur, tradunt Sot. in 4. distinct. 34. quest. 1. art. 3. Io. ph. Angles in floribus Theolog. quest. de arte magica artic. 6. distinct. 2. Casti. lib. 2. de iusta heret. punis. c. 15. Lessi. de iustit. lib. 2. cap. 44. dub. 6. ex numer. 56. Raphael de la Torre d. quest. 96. artic. 4. disput. 3. Sanch. de matrim. lib. 6. disputat. 96. ex numer. 3. & in precepta Decalogi lib. 2. c. 41. numer. 19. & de vidua & presbytero signa conremantibus, quo maleficia cessant, narrat Codron. lib. 1. de morbis benef. & de comite ollam maleficij amouente, refert Spreng. in mall. part. 2. quest. 1. cap. 1. de loci amotione Calsalpin. in lib. de inuestig. demon. cap. 17. de nodi dissolutione Ronsæus in mediet. venar. cap. 50. Et de diuinis remediis, quibus maleficia tolluntur, & dæmones fugantur, latè Torreblanc. lib. 2. de magia capite 53. per totum.

De Astronomia vide Blas. Aluarez Mirabal. de la 7 conseruacion de la salud. cap. 82. Barthol. Valentin. en el repertorio del mundo lib. 2. cap. de Astrolog. Stephan. Quaranta in summa Bullarj verbo Astrologia. Fr. Emman. au. in sum. tom. 1. cap. 7. numer. 3. Sayr. in clauis Regia lib. 4. cap. 5. numer. 2. Benedic. Pereira de Magia lib. 3. cap. 1. cum multis seqq. Soar. tom. 1. de Religione lib. 2. de superstit. cap. 11. numer. 8. Azor. d. part. 1. lib. 9. cap. 13. Ioan. de Torres de la Philosophia moral. de Principe, lib. 6. cap. 6. Salas 1. 2. quest. 9. artic. 5. disputat. 2. sect. 8. numer. 79. Leonard. Lessi. de iustit. lib. 2. cap. 41. dub. 6. a numero 32. Martin. Delri. d. lib. 4. cap. 3. quest. 1. Fr. Raphael de la Torre in 2. 2. D. Thom. tom. 2. quest. 95. artic. 5. pag. 331. cum seqq. Farinac. in praxi criminal. quest. 20. numer. 111. & nouissime de heresi quest. 181. numer. 55. Sanchez in precepta Decalogi lib. 2. cap. 38. a numero 27. Circa Motum Sixti V. contra exercentes iudiciariam artem, vide Sayr. d. cap. 5. numer. 2. Soar. dicto lib. 2. cap. 11. numer. 5. Bobadil. in sua politica lib. 2. cap. 17. numer. 73. Sanchez d. cap. 38. numer. 44. Aloyf. Riccius in praxi aurea resol. 186. Torreblanc. lib. 1. de magia diuinarice cap. 8. de variate Astrologia iudiciaria, & in appendice pretermisum ad cap. 8. numer. 19. ad fin. vbi refert verba Francisci Valleriola in appendice ad librum de locis cinnumibus cap. 8. ita loquentis. Definant itaque Astronomi, & qui eos sequuntur patum cordati medici nobis suis fallacis technisq. imponere, graueque facinus arbitrentur malum celo ac astris tribuere, vnde bona ad nos omnia veluti à fonte purissimo manant, illudque cogitent vanas esse quæ de hisce rebus tradunt Astronomorum regulas prouiditque fallaces. Hactenus Valleriola, nam agri tudines, casus, & euentus ac tempestates minime ab astris pendent, vt indocti medici, imperiti naucleri, & barbari agricolæ tumultuant, sed natura cursu, vel ab exhalationibus ab impuris locis manantibus, vt multis argumentis atque rationibus probant Galen. lib. de different. febr. cap. 4. Andr. Laurent. lib. 3. de crisi bus capite 6. Baptista Codron. de morbis benef. capite 6. Ioannes Huchor. in therapeut. libro 4. cap. 5.

De chiromantia vide Vgolin. de censuris Pontifici reservatis part. 2. §. 2. numer. 10. Raphael de la Torre dict. tom. 2. quest. 95. artic. 7. disput. 3. de chiromantia pag. 326.

pag. 326. Farinae. in praxi crimin. quest. 20. num. 112. & in tract. de heresi quest. 181. num. 56. Hortens. Causalcan. de brachio Regio part. 3. num. 84. Torreblanc. de Magia lib. 1. c. 10. Sanchez d. lib. 2. c. 38. num. 47. ubi resoluit superstitiosum per manuum lineas bonam vel malam fortunam indicare, secus si complexiones, humores, & aptitudinem, & num. 49. asserit mortale esse peccatum interrogare Egyptianam de bona vel mala fortuna, si fiat animo firmiter credendi illius dictis, vel etiam animo ridendi, dummodo, notabile detur scandalum.

10 De somniis, & quod sit superstitiosum & impium illis credere, quia aut ex repletionem, aut vacuitate, aut agitudine, aut illusionem demonum, aut ex causis naturalibus eorum imagines & phantasmata provenire solent, vide Jacob. de Graffis in decis. aureis lib. 2. cap. 3. num. 16. Petr. Binsfeld. in comment. ad lib. 3. C. de maleficiis & mathem. quest. 2. Gregor de Valentia 2.2. quest. 95. artic. 6. quest. 12. disput. 6. puncto 3. vers. tertio quoad somnia Benedic. Pereira de Magia lib. 2. cap. 1. cum seqq. Soar. de Relig. tom. 1. lib. 2. de superstit. cap. 13. Medina lib. 2. Paranes. cap. 2. Francisc. Pic. lib. 6. praeor. cap. 8. Martin. Delri. disquisit. magic. lib. 4. cap. 3. quest. 6. de coniectione ex somniis, Azor. institut. moral. part. 1. lib. 9. cap. 17. Lessi. de instit. lib. 2. cap. 43. dub. 8. Sanchez in precepta Decalogi lib. 2. cap. 38. numer. 49. cum seqq. Fr. Raphael. de la Torre in 2.2. D. Thoma tom. 2. quest. 95. art. 6. pag. 272. cum seqq. Torreblanc. lib. 2. de magia divinatorice cap. 25. de observatione somniorum.

11 De Necromantia vide Lælius Zechium in summu. tit. de Fide cap. 1.7. de necromanticis Repert. Inquisit. verbo Necromantia. Tolet in instruat. Sacerdot. lib. 4. cap. 15. num. 15. vers. aliquando Benedic. Pereira de Magia lib. 1. cap. 1. de Necromantia. Martin. Delri. lib. 2. quest. 26. sect. 1. cum multis seqq. & lib. 4. c. 1. quest. 6. sect. 2. Azor. de part. 2. lib. 9. c. 20. de divinatione, qua ducitur ex mortuorum verbis & cadaveribus. Fr. Raphael. de la Torre in 2.2. D. Thoma tom. 2. quest. 95. art. 3. disput. 3. de Necromantia, pag. 195. cum sequentibus Torreblanc. lib. 1. de Magia c. 16. de necromantia. De hydromantia vide cap. nec mirum 26. quest. 5. ibi, est enim hydromantia in aque inspectione umbras demonum observare. Martin. Delri. ad Senec. in trag. Raphael. de la Torre disp. 3. Torreblanc. d. lib. 1. c. 10. ex n. 5.

SVM MARIVM.

- 1 Sortilegia pro furis inveniendis, vel divinationibus cunctis prohibetur, & contrafacientibus pena imponitur.
- 2 Sorte furta inuestigare prohibitum est.
- 3 Sortilegi Clerici, & laici pena qua sit, remissive.
- 4 Sortilegi crimen perpetrantes quando Inquisitorum haeretica pravitati iudicio subiacent, remissive.

CAP. In tabulis. I.

Ex panis. Theodori.

1 Furtum sortilegii inquirere praesumentes, vel obsecrantes aliquas divinationes, poeniteant quadraginta dies. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zab. Ioan. Andr. Anania. Host. Anch. Butt. Panorm. Mar. Socin. Vivian. in rationali lib. 5. iuris Pontif. p. 163. Alagona in compend. iuris Canon. p. 694. remissive Ximen. in concord. part. 2. referunt. Burcard. lib. 11. Decretor. cap. 19. Iuo

part. 11. c. 52. Ant. August. in collect. 4. Decret. lib. 3. dist. cap. 1.

Collige ex text. prohibitum esse sorte furta inuestigare cum incantationibus, & malis artibus, ut per Farin. in praxi crimin. p. 6. q. 176. n. 95. Petz. 9. gloss. 1. p. 104. lib. 8. Ordin.

Quadragesima dies poeniteat. 1. Pena clerici sortilegi qualis sit, vide apud Bernard. in praxi. cap. 11. num. 2. ubi Salzed. in addit. lib. B. ponit quod per iudice ecclesiastico puniatur laicus sortilegius, vide Aldret. de Religiosa disciplina tuenda, lib. 2. cap. 2. num. 5. cum seqq. Soar. tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. c. 13. num. 12. Emman. do Valle de enalms. & incant. lib. 2. cap. 6. num. 34. Et generaliter quando crimen sortilegi perperantes Inquisitorum haeretice pravitati iudicio subiacent, vide Alphons. de Castro de casu haereticorum puni. lib. 1. cap. 13. Eymet. part. 2. de reit. inquisit. quest. 42. numero 4. Baiard. ad Cae. verbo heresis num. ult. & plures alios, quos refert Salzed. loco proxime citato, & Emman. do Valle d. lib. 2. num. 32.

SVM MARIVM.

- 1 Presbyter, qui per inspectionem astralium furta requirit, ad tempus suspenditur ab Altaris ministerio.
- 2 Clericus, qui bono zelo, & simplicitate sortilegiis fuit, suspenditur a Divinis & 6. per annum.
- 3 Mala non sunt facienda, unde evitent bona.
- 4 Simplicitati ignoscitur.
- 5 Astrologia res occultas inuestigans est superstitiosa.
- 6 Sortilegio clerico Episcopo debet imponere auctoritas personarum, & amplius statum animi relinquere arbitrio.

CAP. Ex tuarum. II.

Alexand. III.

Presbyter qui per inspectionem astralium furta requirit, etiam si sint bona Ecclesiae, & ex bono zelo, & simplicitate faciat, tamen suspenditur ab Altaris ministerio per annum, si ita videtur Episcopo. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zab. Ioan. Andr. Anania. Host. Anch. Butt. Panorm. Mar. Socin. Vivian. in rationali lib. 5. iuris Pontif. pag. 163. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 694. remissive Ximen. in concord. p. 1. & 2. referunt ab Ant. August. collect. 3. Decret. lib. 5. tit. 17. c. 3. & est post Concil. Lateran. lib. Alex. III. p. 50. c. 6.

Collige ex text. clericum, qui bono zelo, & simplicitate cordis ductus sortilegio vius fuit, suspenditur a Divinis, & ministerio Altaris per annum, & amplius, prout iudex arbitratu fuerit, ut per Torreblanc. de Magia lib. 3. de crimin. puni. cap. 14. n. 6. Gilland. de sortilegi quest. 14. n. 3. Martin. Delri. disquisit. magic. lib. 5. sect. 16. Menoch. de arbit. casu 388. num. 6. Soar. de relig. tom. 1. lib. 2. de superstit. c. 18. num. 13. Aldrete de Religiosa disciplina tuenda lib. 2. cap. 22. n. 4. Et hoc sortilegium non est haereticale, sicut omne aliud, quod tendit ad aliquid occultum cognitionem, etiam si demonis expectetur auxilium, ut resoluit Torreblanc. de magia lib. 3. de crimin. puni. c. 8. n. 12.

Furtum cuiusdam Ecclesiae, &c. Notatur ad hoc, quod non sunt facienda mala, ut inde bona proveniant, ut per Palat. in repet. c. per vestras, sup. de donatione inter vivos, & exor. notab. c. n. 2. & 3. Itaq. de panis. tenet. cap. 52. n. 8.

Et simplicitate.] Ergo simplicitati ignoscitur, ut per Tiraquel. de penis temper. causa 11. num. 2. cum seqq. Si vero dolo malo fecerit, deponendus est ab Ordine sacro, & omnibus beneficiis priuari debet, & in monasterio perpetuo detineri, ac degradari, cap. si quis Episcopus 26. quest. 5. Dicitur namque Presbyterum dolo malo sortilegiis uti si celebret super rebus profanis, quæ putantur apta ad sortilegia, ut cuticula, qua infantis caput nascentis est involutum, panis incotus siue massa cruda, hostia sanguineis litteris circumscripta, ut per Griland. d. quest. 14. Menoch. de arbitr. casu 388. ex num. 10. Farin. in praxi crimin. q. 20. numer. 107. idem dicendum si confusa luminaria extinxerit, cap. quicumque 26. quest. 5. si vasibus, aut vestibus sacris abutatur, vel Missas defunctorum pro viuis celebrauerit ut ciuitas moriantur, cap. admonent 26. q. 7. de benedictione 32. q. 1. Griland. de sortileg. q. 16. Farinac. q. 19. § m. 49.

Id tam grauiſſimum fuit, &c.] Notatur ad hoc, quod Astrologia res occultas, siue præteritas, siue præſentes, ut furtum occultum, theſaurum, virginitatem, &c. inuestigans, est superſtitioſa, & omni iure interdicta. Primò enim damnat ius diuinum *Leuit. cap. 19. Deuter. cap. 18. 1. 1. cap. 47. Hierem. cap. 10. Sapient. cap. 9. Reg. 1. cap. 28. & Reg. 4. cap. 23.* Secundo damnat ius Canonicum, cap. illud 6. cap. sed & aliud 9. 26. quest. 2. cap. conſultiſti, cap. ſciendum, cap. igitur, 26. quest. 2. cap. non ſtatim, c. non licet 25. quest. 5. text. in præſenti. Tertiò ius ciuile, l. item apud Labeonem, §. si quis Astrologos, ff. de iniur. l. 2. l. nemo aruſpex, C. de malef. & mathem. l. mathematicos, C. de Episcop. aud. Quarto damnat ius Regium Luſitan. lib. 5. tit. 3. §. 3. & apud Castellanos l. 2. tit. 19. lib. 8. Ordin. & l. 1. tit. 27. part. 3. & l. 5. tit. 1. lib. 8. nona recop. Quintò damnant Patres Orthodoxi, S. Ambrosi. lib. 4. Hexamer. cap. 4. S. Ioan. Chryſoſt. in Mat. 2. S. Auguſtin. lib. 2. ſuper Geneſ. ad litter. c. 17. & de ciuitate Dei lib. 5. per tot. & lib. 6. c. 9. & lib. 14. c. 4. Sexto Theologi tam veteres, Magiſt. Palul. Gabr. Maior, Richar. & alij in 4. ſentent. S. Thom. 2. 2. quest. 95. artic. 5. quam recentiores Ioan. Picus Mirand. aduerſus Astrologos per lib. 12. Franciſc. Picus eius nepos lib. 5. prænot. Petr. Ciruel. de ſuperſtit. part. 2. c. 3. & lib. 1. Astrolog. Chriſt. c. 1. Mich. Medina lib. 2. de reſta in Deum fide. cap. 2. Fr. Emman. in ſumm. tom. 1. c. 7. num. 4. Sor. lib. 8. de inſtit. quest. 3. artic. 2. circa ſolut. ad 3. verſ. in his autem Astrologis Salas 1. 2. quest. 9. artic. 5. tract. 2. ſect. 8. num. 79. in fine. Soar. d. lib. 2. c. 11. num. 27. & c. 19. num. 12. Martin. Delci. lib. 4. c. 2. quest. 7. ſect. 4. Sanch. de matrimon. lib. 7. diſp. 95. numer. 1. & in præcepta Decalogi, l. 2. c. 38. ex num. 33. Emman. de Valle de incantatione, & enſalmis, ſect. 3. c. 5. num. 24. Septimò damnant Iuriſperiti, ut per Abb. Anan. Anch. & alios in præſenti, Troil. Maluet. de ſortib. part. 2. Bald. & Salicet. in l. 2. & 5. C. de malef. mathem. Griland. de ſortileg. quest. 3. ex num. 8. & quest. 11. ex n. 16. Clar. §. heretiſi num. 25. Damhaud. in praxi cap. 61 num. 80. Sebalt. Medic. in ſumm. heretiſm. part. 3. cap. de Astrolog. & in ſumm. peccat. part. 1. tit. 2. quest. 36. Lancel. Contrad. in templo omnium iudicum lib. 1. cap. 1. §. 3. Menoch. de arbitr. casu 388. Farinac. in praxi crimin. pag. 1. q. 20. num. 112. cum ſeqq. Octauo damnant Philoſophi, Plato in Cratyl. & eius diſcipulus Ariſt. lib. 2. Cicer. lib. 2. de diuinat. & Phaſorin. apud Aul. Gell. lib. 14. noſtium Atticarum cap. 1. Nonò damnant Medici, Galen. lib. 1. de ſanit. tuenda. Franc. Valles de ſacra philoſophia c. 31. Leuius Lemnius epiſt. ad Politi. amon. lib. 1. 2. Ioan. Langius epiſt. 35. Decimò damnant Hiſtorici, Corn. Tacit. lib. 2. & lib. 17. annal. Eufeb. lib. 6. hiſtorie Eccleſ. c. 6. & 7. Mariana de rebus Hiſpan. lib. 17. cap. 14.

Collect. Barboſ. Tom. III.

In gloſſ. Si tibi viſum. ibi ſed minorem penitentiam an no non poſſet. &c. Notatur ad hoc, quòd Episcopus annuam ſuſpenſionem tenetur imponere clerico facilego, & ſolùm amplius ſpatium annuo relinquitur eius arbitrio, ut per Sanch. d. tract. de matrimon. lib. 6. diſp. 34. num. 32.

SUMMARIVM.

1. Electio per ſortes fieri non debet.
2. Sortis uſus in Eccleſiaſticis electionibus non probatur.
3. Sorte qui eligitur, humano iudicio non comprehendiſſetur.
4. Sorte an ſit dirimenda quest. illa de duobus fratribus, qui ex uno patre naſcuntur paru ſi cognofci non poſſit quifnam prius editus ſit in lucem, re-miſſiue.
5. Sortium irimembris diſtinctio declaratur, & reſpondetur aliquibus obiectionibus.

CAP. Eccleſia. III. & fin.

Honor. III.

Episcopus per ſortes eligendus non eſt, electio enim per ſortes damnatur, nec compromiſſarij per ſortes eligi debent. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innocent. Collect. Zabarell. Ioan. Andr. Anania, Hoſtienſ. Anch. Butr. Panorm. Mar. Socin. Viſian. in rationali lib. 5. iuris Pontif. pag. 167. Alagona in compendio iuris Canon. p. 695. remiſſiue Ximen. in concord. part. 1. & 2.

Sortis uſum in electionibus, &c.] Probat hic text. ſortis uſum in Eccleſiaſticis electionibus improbari, ut per D. Thom. 2. 2. quest. 95. art. 8. in corpore. verſ. quarto Troil. Maluaſc. de ſortibus part. 3. num. 7. Nauar. in manu c. 11. num. 38. Petr. Gregor. ad tit. de elect. cap. 3. num. 20. Azor. inſtit. moral. part. 1. lib. 9. cap. 12. quest. unic. verſ. at uerò in electionibus, & part. 2. l. 4. c. 5. verſ. exploratum, & lib. 9. c. 12. quest. unic. verſ. at uerò, Campan. in diuerſ. rub. 7. c. 6. num. 63. Lauer. var. tit. 4. c. 10. ex n. 33. Franc. Sigism. de elect. dub. 27. Sayr. in clauſ. Regia lib. 4. cap. 5. num. 20. & 21. Martin. Delci. diſquiſit. magic. lib. 4. c. 4. quest. 1. Leſſi. de inſtit. lib. 2. c. 43. dub. 9. num. 58. cum ſeqq. Soar. de Relig. tom. 1. lib. 2. de ſuperſt. cap. 12. a numer. 3. Emman. Sà. in aphoriſm. verbo. ſortes. Martii Fellicium in elucida. Decalogi cap. 55. verſ. tertium genus Sanch. in præcepta Decalogi lib. 2. c. 38. num. 71. amplianteſ non ſolùm electionem ad beneficium, ſed etiam ad officia Eccleſiaſtica. Tiraq. de iure primog. c. 17. opin. 1. n. 15. cum ſeqq. Et iuſtiſſimis rationibus comprobatur, oportet enim dignos eligi ad Episcopatus, & alias Eccleſiaſticas dignitates, cum nihil uilius ad Dei gloriam, & populorum ſalutem fieri poſſit quam bonos paſtores, & Eccleſie gubernande idoneos promoueri, & nihil per contrarium magis perniciouſum poſſit contingere, quàm ſi promoueantur indigni moribus, ſcientia, & aliis qualitatibus, quos D. Paulus, Concilium Trident. Summi Pontif. Sanctique Patres in Episcopis, & aliis, quibus Eccleſiarum creditur regimen, prærequirunt, quas latè proſequuti ſuimus in meo tract. de officio, & poteſt. Episcopis, part. 1. tit. 2. de munere Episcopali, quòd ſanè iudicium, & qualitatium, ac meritum examet, quod Spiritus ſancti inſpiratione fieri debet, ut ex Beda norauit D. Thom. verſ. quarto, & deductum ex text. in cap. cum Eccleſia 3. in princip. de cauſa poſſeſſ. & propr. fortunæ, ideſt, ſortis reuerſio, & inſectio euentui committi non debuit, quia, ut ait D. Ambroſ. qui

qui sorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur, & quia cæca res est fors, & fortuna, quæ sæpe indignos præmouet, dignos premit, ut eleganti carmine de fortuna cecinit ille.

O fortuna potens, quàm variabilis.

Euertisque bonos, eligis improbos.

Fortuna immeritos auget honoribus.

Breuius Seneca in Hercule furente,

Fortuna viris inuida fortibus,

Quam non aqua bonis præmia diuidis.

cum multis, quæ ex ipso, aliisque Petris, Philosophis, & Patribus prosequitur Nanius in *polyanthea*, verbo *fortuna*.

4. Vtrum in contrarium vrget, quia fors nihil mali est, sed res inhumana dubietate diuinam indicans voluntatem, ut ait D. August. relatus à Gratiano in *cap. fors* 26. *quest.* 2. idèdque licitum esse & laudabile quoties de honore, dignitate, vel aliis similibus dubium est, aut inter plures contentio, sorte eam dirimere probat text. in l. *sed cum ambo* 14. ff. de *iudic. text. opt. in l. fin. in princip. C. communia de legatis*, latissimè Curiel. de *primogenitura*, *quest.* 9. per totam, Tiraquel. de *primogenitis*, *quest.* 17. opin. 1. Gom. l. 40. *Tauri numer.* 68. *vers. quinta*, Ceuall. *communium contra commun.* tom. 1. *quest.* 248. à num. 19. disputantes latissimè illam controuersam questionem de duobus fratribus, qui ex vno patre nascuntur partu, si cognosci non possit quisnam prior editus sit in lucem, quam questionem sorte dirimendam resoluunt plures quos isti referunt. Hinc etiam licitum esse contractum sortium apud nostros satis vñtarum, quando scilicet plures contrahunt ad res aliquas pretiosas, vel suppellectilia emenda, & deinde inter omnes mittitur fors, notant omnes, & ex professo omnium latissimè contra Conrad. explicat Martin. Delri. d. *cap. 4. quest.* 2. Molin. de *iustit. tract.* 2. *disp.* 509. Lessi. d. *cap. 43. num.* 58. Et generaliter ex eisdem rationibus licitas esse sortes diuisorias, in quibus agitur quid cui sit adhibendum, siue sit honor, ut in magistratibus sortiendis frequens erat Romanorum vsus, constat ex *auth. de consiliis in prin.* Dionys. Halicarnas. lib. 6. *antiquit.* Valer. Maxim. lib. 3. *cap. 7.* quod ex Atheniensibus habuit originem qui magistratus in Areopago coniectis in vnam variis literis nomina sortiebantur, ut ex Demosth. Aristoph. & aliis tradit Alcon. Sigon. lib. 3. de *republic.* Athenien. hinc Proconsoles sortiri probat l. *emancipati*, de *adopt.* atque quaestores l. 1. de *quaestor.* Cic. pro *Murem* & alii. 3. in *Verrem*. nec non Praetores, Sueton. in *Cesar*. cap. 18. & in *Augustum* 3. hinc colonias diuisas, domos, & alia narrat Alciat. lib. 5. *Parerg.* cap. 22. ex quibus etiam hodie inter seculares hoc licitum est post multos, quos refert, comprobat Sanch. *ubi sub num.* 58. siue etiam poena sit, ut inter milites fieri solet, quod ex bonis auctoribus comprobat Claud. Cotor. de *iure militum*, lib. 3. *cap. 8.* siue etiam actio sit, veluti quando inter plures mittitur fors ad iter peragendum, vel aliud simile, ut de omnibus notat D. Thom. d. *art.* 8. quem sequuntur reliqui omnes, Malucf. d. *part.* 3. à num. 20. Nauar. Azor. Lessi. Soar. d. num. 16. Sanch. à num. 57. dictis locis, & sic iudicium sortis frequentissimum in iure probant Alcon. Sigon. lib. 2. de *iudic. cap.* 12. Mynsing. lib. 4. *observat. cap.* 37. Tandem hoc ipsum comprobatur ex ipsa sacra Pagina vtriusque Testamenti, ex qua satis electionis vsus videtur per sortes comprobatus, nam per sortem terra promissionis diuisa est, *Deut. c. 1.* Sorte Saul electus fuit *1. Reg. c. 1.* & Mathias in Apostolum *Act. c. 1.* atque etiam Zacharias, ut incensum poneret, *Luc. 1.* Ionas à facie Domini fugiens sorte deprehensus, & in mare deiectus est, *Iona c. 1.*

Probat resolutione tamen omiſſa diſtinctione membrum fortium, in diuinatorias, quibus quaeritur quid sit futurum, consultatorias, quibus quaeritur quid agere oporteat, & diuisorias quibus quaeritur quid cui sit tribuendum, quas latè explicat D. Thom. d. *art.* 8. in *corpore*, & ab omnibus receptum testatur Sanch. *numer.* 56. & sequuntur reliqui omnes supradicti ac propter eos Turteblanc. lib. 1. de *Magia cap. 20. num.* 20. & ad duas species reducere nititur Sanch. *cap. 12. à num.* 2. certum est inter duas illas priores, vltimas maximum interesse discrimen, nam diuinatoria semper illicita sunt, *cap. 1. 16. quest.* 1. *cap. 1. 16. quest.* 1. *cap. 1. 16. quest.* 1. non vult Deus voluntatem suam sortibus indicari, sed Sanctorum precibus, & orationibus, explicari post Syluest. Azor. & alios Sanch. *num.* 81. & latè pte Abulen. *1. Reg. c. 14. quest.* 20. Soar. *num.* 18. vñtarum speciem sortium consultorias, scilicet, & diuinatorias sub vnica conclusione eademque ratione deprecandens, vltimas verò diuisorias regulat, & natura sua, si ratione alicuius circumstantie aliquid mali non accedat, licitas esse probatur ex prædicta D. Augustini auctoritate in *c. fors*, 26. q. 2. & ex dictis iuris Cuius auctoritatibus in l. *sed cum ambo*, & aliis, de quibus supra, sciendum in electionibus secularibus sorte licitas esse vsu, & experientia rerum omnium monstrata, iuxta *cap. quam sit* 6. in *principio*, de *electionibus* in 6. docti, & iure probati in d. *auth. de consiliis* iunctis aliis, quæ supra adduximus. In sola autem electione ad Ecclesiasticas dignitates specialiter hoc est prohibitum per textum in *presenti*, resoluunt Thom. & reliqui omnes, post ipsum supra citatum, specialis ratione non ita constat, S. Thom. aut communiter prædictam assignant, quod electio Ecclesiastica Spiritus sancti inspiratione fieri debet, ut scilicet digni ad Ecclesiasticas dignitates assumantur, & ideo ex Beda respondetur electionem Mathias factam fuisse ante Pentecostem, quando tunc plenitudo Spiritus sancti in Ecclesiam advennerat, postem verò Diaconos postea non sorte, sed discipulorum electione fuisse ordinatos *Act. 6.* eandem responsionem adducunt Alexand. de Ales. & post eum Syra. *numer.* 20. ad finem, Soar. *num.* 20. & Deliclosi promemè citatis: indeque similiter respondent ad omnia exempla veteris Legis, in quibus Saul, & alios sorte electos legimus, quia nondum Spiritus sancti plenitudo effusa erat, quo inspirante in lege Evangelica electiones Ecclesiasticas oportet fieri. Veta tamen, & specialis ratio melius deducitur ex forma in electionibus lege Canon. requisita in *c. qui propter*, & in *c. cum terra*, cum similibus de *elect.* quæ non repetitur, nec seruatur in sortibus, ut notant g. & DD. communiter hic, & aduertit Iul. Lauer. *vari lucubrations* tom. 1. tit. 4. c. 20. n. 34. *vers. quarto*, indeque facili solutio paratur ad omnia exempla veteris, & Actuum Apostolorum in electione Mathias, quod scilicet, seculari prohibitione positua iuris Ecclesiastici, quæ illi temporibus non vigeat, licite ita eligere poterunt, ut multis latè comprobatur, & explicat Sanch. d. *cap. 1. numer.* 20. & 22. Neque obstat si dixeris, semota omni iuris Ecclesiastici prohibitione videri ex ipsa lege naturali in quibuscunque electionibus, etiam ad secularia officia prohibitum esse sortis vsu, quod id concludit ratio de periculo assumendi indignos in graue damnum ipsius Reipub. Respondetur enim hoc quod dicimus, quod electio secularium dignitatum, vel etiam Ecclesiasticarum ante Concilium prohibitionem sorte fieri posse, intelligendum esse debitis seruatis circumstantiis, & imprimis ne fiat sorte & promiscue inter dignos, & indignos ita ut boni

& mali fortis subiciantur, eaque cadere possit super indigno, sed tunc demum licita censetur, si fors mittatur in personas, quas dignas esse constat, ut factum fuit Apostolis in electione Mathiae, non enim promiscue inter omnes discipulos miserunt sortem, sed inter Mathiam, & Barnabam, quos dignissimos inter omnes iudicaverunt, ut cognoscerent cuiusnam electio Deo esset acceptior, atque ita bene explicat Caiet. 2. 2. *quest. 95. art. 8. dubio 1.* Nauar. Azor. Less. Delr. Suarez num. 6. & 15. ad finem, Sanchez num. 67. dictis locis. Castellin. de elect. cap. 7. n. 21. Lavour. d. c. 20. num. 37. in fine. Quod si inter hoc casu etiam in electionibus ecclesiasticis licitam, & minimè prohibitam videri electionem hoc modo factam, respondebitur in terminis legis naturalis semota Ecclesiastica prohibitionem veram esse consequentiam ex dictis, sed illicitam reddi ex ecclesiastica prohibitionem, ut explicat Suarez d. num. 6. cum segg.

De Collusione detegenda.

TIT. XXII.

SUPER hanc rubr. scripserunt Zabarell. Ioan. Andr. Anchar. Butr. Anania, Panorm. Mar. Socin. Guillelmus Durand. in *breuiario auro iuris Canonici*. fol. 145. Ioan. de Londr. in *breuiario sanctorum Canonum*. fol. 181. *versa*, Petr. de Rauen. in *compendio iuris Canonici*. Martin. Melhard. in *epitome Decretal.* fol. 189. Daniel. Venator. in *analysis methodica iuris Pontificij*. pag. 684. Goffred. & Host. in *summa huius tit.* Alexand. Callan. & Anastas. Gervon. in *paratilis ad quinque libros Decret.* Bartol. Carthag. in *expositione tituli iuris Canon. nouissimi* Ioan. Honor. lib. 5. *sum. in Decret.* omnes sub hoc tit.

Colludere est quando actor, & reus litem inter se simulat, alterque se patitur superari ut tertio cuiuspiam noceat, veluti quando accusator subornatus proprias subornationes dissimulat, falsas vero admittit, ut crimen occultet in praediuicium filci, quo casu, in criminalibus scilicet, dicitur tantum colludi, non autem in civilibus, quia in eis licita est concordia & amicitia inter litigatores, de quorum solummodo interesse agitur, & sic partes non possunt dici colludere Ita Nat. consil. 5. 37. n. 3. lib. 3. Mascard. de probat. concl. 322. n. 6. Sigl. Scacc. in *tratt. de indic. caus. civil. crim. &c.* lib. 2. c. 9. 11. n. 96. Buccar. de *differ. inter iudicia civil. & crimin.* differ. 182. n. 4.

SYM M A R I V M.

- 1 Accusatore desistente ab accusatione potest index ex officio suo inquirere super crimine illato.
- 2 Index, quando videt accusationem esse suspectam de collusione, non debet cessare ab inquisitione.
- 3 Absolutus à iudice per sententiam diffinitiuam. an possit iterum accusari, vel inquiri de eodem crimine, ostenditur.
- 4 Contraria duo possunt procedere diuersis respectibus.

CAP. Scripta. I.

Greg.

- 1 Accusator quando desistit ab accusatione, & conuenit cum accusato in amicitia, iudex ex officio Collect. Barbof. Tom. III.

potest inquirere super illo crimine, ne concordia sit ex prämio facta, & non ex charitate, Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabarel. Ioan. Andr. Anania, Host. Butr. Anch. Panorm. Mar. Socin. Viuian. in *rationali lib. 5. iuris Pontif.* p. 167. Alagona in *compend. iuris Canon.* pag. 695. remissive Ximen. in *concord. p. 1. & 2.* d. sumitur ex D. Greg. lib. 2. *registri epist.* 38. c. 77. apud Ioan. Diac. lib. 4. c. 32. de *vita B. Greg.* refertur ab Ant. Aug. collect. 2. Decret. lib. 5. tit. 18. c. 1. & est post Concil. Lateran. sub Alex. III. p. 48. c. 2.

Et ea, quæ audimus, &c.] Notatur ad hoc, quod quando iudex videt accusationem esse suspectam de collusione non debet cessare ab inquisitione, ut per Marant. de ordine indic. p. 6. in princ. n. 45.

Hoc necesse est facilius perscrutari] Notatur ad hoc, quod postquam quis absolutus est à iudice per sententiam diffinitiuam nullo modo potest accusari ab extraneo, vel à iudice inquiri super eodem delicto, nisi prius doceat de prauaricatione primi accusatoris, vel iudicis, vel testium vel tabellionis, ut per Ant. Gom. var. tom. 3. c. 1. n. 26.

In gloss. *Qualitas*.] Notatur ad hoc, quod duo contraria possunt procedere diuersis respectibus, ut per Tiraq. de nobilit. cap. 28. n. 13. Thom. de Thomassetis in *floribus legum reg.* 101. Fatim. in *praxi crimin.* p. 4. conf. 30. n. 62. asserit quod malum sub specie boni nequaquam admitti debet exemplo Iudæorum, qui Christum D. N. crucifixerunt, licet bonum, & vile fuerit, quia fuimus redempti, tamen puniri fuerunt, quia malo animo, & malo modo fecerunt.

SYM M A R I V M.

- 1 Accusatore & accusato desistente index prosequitur.
- 2 Index intermissam quocunque modo accusationem suscipere, & ad sententiam usque prosequi potest.
- 3 Fiscus prosequitur accusationem, desistente accusatore & accusato.

CAP. Crimina. II.

CRIMINA semel audita, etiamsi deinde accusator desistat, & paciscitur cum accusato, iudex debet punire. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabarel. Ioan. Andr. Anania. Host. Butr. Anch. Panorm. Mar. Soc. Viuian. in *rationali lib. 5. iuris Pontif.* pag. 168. Alagona in *compend. iuris Canon.* p. 695. remissive Ximen. in *concord. p. 1. & 2.* Sunt verba Ioan. Diac. in *vita B. Greg.* lib. 4. c. 32. refertur ab Ant. Aug. collect. 2. Decret. lib. 5. tit. 18. cap. 2.

Probat hic text. posse indicem intermissam quocunque modo accusationem suscipere, & ad sententiam usque prosequi, ut per Corream de Sâ in *fragmentis ad l. 5. Ordin. Regia Lusitan. verbo crimen* n. 51. fol. 20. Desistente enim accusatore, & accusato fiscus prosequitur, Aloyf. Riccius in *collect. decis. part. 5. collect.* 181. 3. & in crimine vsurae. Minal. *decis.* 39. Vinc. de Franc. *decis.* 52. In quibus vero casibus apud nostros Lusitanos possit iudex intermissam accusationem prosequi, declarat Ordin. Reg. lib. 5. tit. 122. faciunt quæ ad illius intellectum tradit Chald. Pereira q. *foren. in comment. ad l. vnic. C. ex delictis defunc.* p. 1. n. 73.

Etiam si accusatus cum accusatore in gratiam redisset.] Immo ex hoc argumentum & indicium inducitur quod infirmul colluserint, secundum Bartol. in l. 1. §. *prauaricatorum*, ff. ad Turpill. ubi dixit ex accusati, & accusatoris familiaritate satis probati prauaricationem, quod nititur comprobare à simili, quia inquit, sicut præsuntur leno, qui